

agere videtur is, qui non addit usum & exempla regulis, quod qui in tenebris egregiam picturam collocat. Keckermanus in præfat. Logic. special. ait: Praxis artium intra artis ipsius methodum, atq; ut sic dicam, medullas habere debet, non se-  
 jungi ab eâ, aut qualitercunq; assui velut mantissa quædam & appendix. Usus est ipsa ἐντελέχεια, ipse actus & perfectio, & velut forma artis. Hic non disputo, quàm rectè hoc dicatur, usus est velut forma artis (nam hyperbolicè hoc dictum esse existimo) sed usum Logices cōmendo verbis philosophi non infimæ classis. Petrus Molin. in elementis Logicis dicit, eos, qui multa præcepta Logica colligunt, & interim tamè ad conti-  
 tuendum Logicum opus non accedunt, similes sibi videri iis, qui multos malleos aut forcipes cōemunt, & interim nihil habent, quod incudant aut evellant. Keckerm. ait, sibi hos ta-  
 les similes videri iis, qui multos loculos aut marsupia cōemunt, & nihil habent numorum, quod recondant.

Exempla vocamus hoc loco διαλύσεων & commemorationem illorum, qui Logicam exercue-  
 runt omni fermè seculorum memoriâ.

Hic igitur historia usus Logici, de periodis & conversio-  
 nibus fuerit texenda.

Historia u-  
 sus Logici.

Usus Logicæ consideratur in veteri & novo Testamento.

In veteri Testamento consideratur secundùm quatuor potestates, patriam, judiciariam, regiam & sacerdotalem.

Tempore potestatis patriæ viguit exercitium Logicæ naturalis. 1. In inventione disciplinarum realium, Astronomiæ, Geometriæ, Physicæ. Et quidem hoc inveniendi exercitium heroïco isti mundi seculo maximè conveniebat. 2. In consideratione visionum & oraculorum divinorum. 3. In dexterritate docendi filios & posteros. Hæc de re videris apud Josephum, Polydorum Virgilium, Guidonem Fabricium, & cæteros, qui testantur, ex familiâ patriarcharum, inprimis Abrahami, exercitia Logica & constitutiones omnium penè disciplinarum devenisse ad vicinas gentes, nempe Ægyptios & Phœnices, à quibus deinde in Græciam & Italiam, quasi